

PSALMVVS

QVADRAGESIMVS SE

CVS PLVS SVBVS CONSTAT

CVS PLVS SVBVS CONSTAT

omnium certis inque &

periculis continentur

transiens

A. 1704

M. Bachmann V. d. d. d. d. d.

H. d. d. d. d. d. d.

de m. d. d. d.

1704

MATTHEI XI

Porta inferorum non preuehiet eam
neque ecclesiam Christi nisi per eam.



ADFLICTAE ET
 ærumnosæ Ecclesiæ gratiã & pacem
 Dei in Christo Iesu, & abundan
 tem consolationem ac gau
 dium in spiritu sancto.



POSTOLVS SCRI

bens Corinthijs de suo & fide
 lis cooperarij sui labore: ego
 plantavi, Apollo rigauit: duobus
 uerbis breuiter complecti

*Deo inquit
 inuenimus
 gotij. g. g. g. g.
 extima.
 plantavit
 rigauit
 Rigauit qd.*

tur præcipua officia ministrorum Euangelij. Al
 terum est plantare: alterum plantata rigare. Plan
 tare est, doctrinam salutiferam de Christo trade
 re, cognitionem & fidem Christi propagare. Ri
 gare est traditam doctrinam quasi fouere & con
 feruare, fideles exhortando & consolando con
 firmare. Vtrunq; in Ecclesia factio opus est alij: in
 digent prima institutione in christiana doctrina:
 alij confirmatione, ut firmas radices agant; cre
 scant & proficiant, & persistentes in pietate se
 rant dignos uerbi fructus. Eaque maxime opus ha
 bent in persecutione alijsq; tentationibus, ne tan
 quàm plantæ, quæ non irrigatæ in aestu exares
 cunt, tempore tribulationis deficient. Qui alte

Notabilia

rum tantum faciūt, alterum omittunt, perinde fa-
ciunt ac mali hortulani, qui plantata à se aut ab
alijs non humectant in aestu: nec melius, quàm illi
hortum suum colunt, & plantis consulunt, de Ec-
clesia dei merentur, qui in altera parte suo officio
desunt. Præstantes uiri, per Christi gratiam, mag-
nis laboribus longè lateq; plantarunt & propa-
garunt fœliciter Euangelij doctrinam: uere de il-
lorum concionibus et scripturarum explicatione
dici potest, fideliter eos laborasse in plantando
& excolendo horto domini. Idem præclare præ-
stiterunt & alterum Ecclesiasticæ functionis mu-
nus, rigando, hoc est, confirmâdo & suppeditâdo
cooperarijs successuris uberem copiam ad omnis
generis consolationes & confirmationes, quas ex
fontibus aquæ uiuæ haustas effundât, aestuantibus
persecucionibus & tentationibus uarijs. Et quan-
quam semper opus sit Ecclesiæ altera parte labo-
ris in plantanda et propaganda doctrina: multo
magis tamen opus habet diligenti irrigatione, hoc
est, assidua exhortatione ad profectum & con-
stantiam, & consolatione, qua refocillati & con-
firmati pii, patienter ignem tribulationis perse-
rant, & perseuerent in confessione et profrendis
fructibus ueræ fidei. Ita docet paulus Roma. 15.
scripturam sacram transferre in nostrum usum

*Quibus scribitur
in fine*

Et per patientiam et consolationem spem nostram erigere. Omnia, inquit, quaecunque praescripta sunt, in nostram doctrinam praescripta sunt, ut per patientiam et consolationem scripturarum spem habeamus. Alijs Dei donis suppeditatis ad usum uitae nostrae, utimur, ubi necessitas postulat, in fame et siti cibum et potum sumimus, uestes et ignem adhibemus in frigore: ita eximia dona uerbi sui in scriptura sacra deus dedit ecclesiae suae, ut reponat, seruet, et proferat ad necessarios usus uitae spiritualis, ut fides et pietas nutrita, augeta, et confirmata, in persecutione et cunctis aduersitatibus consistat. Ardet autem hoc tempore * uehemens incendium, et inualefcit ignis persecutionis et ingentium calamitatum, quem plerique, etsi uix aliquis illius sensus eos attigerit, adeo extimescunt, ut à Christo ad Antichristum deficiant. Quam itaque male urit ignis tribulationis, quamque Ecclesia grauter premitur foris à Tyrannis, et quam subdolè à uarijs sectis domi tentatur et subuertitur: tam oportet cultores hortuli domini larga irrigatione refocillare, et salutaribus consilijs et consolationibus stientes plantulas reficere, ne marcescentes pereant. His de causis ante triennium XLVI. psalmum exposui, cum Ecclesia uersaretur in magno luctu et periculis, et pra-

Stagia non dubia prænunciarent, seuiorem tem-
pestatem exorituram, qua nunc miserabiliter con-
quassatur. Quam enarrationem accommodatam
ad cōciones populares in publicum iam profero,
tanquam partem aliquam laboris mihi commissi
in agricolatione donum. Id fit non solum, quia hic
psalmus profluens ex redundanti flumine diuini
uerbi, mirifice ualet ad confirmandum animos,
sed etiam quia deducit nos ad fontes uiuidos, quos
nobis ab efficacia sua ualdē commendat, quod le-
tificant ciuitatem dei. Non adfectata quadam uel
ignoratione uel obliuione à me præmittitur,
quin subducam rationem, quam magnis donis alijs
excellant, & quàm sit modica nostri domi mensu-
ra. Malim ego alios sua talenta erogare, te absta-
nere à minuto ere nostro profereudo, si sciam ex-
cusatos haberi coram deo, si qui suam drachmam
uel obolos ideo non expendant, quia alijs reperi-
antur, qui suis talentis acquirant grandius lu-
crum, uel etiam aliqui defossū talentum abscon-
dant, & nihil lucri dño suo reportent. Sed aliud
me monet parabola de seruo, qui ex uano timore
talētum suum defodiens in terram, nullum lucrum
faciebat. Malo ego in commodum ecclesie minu-
tos obolos impendere, quàm cum illo infideli ser-
uo reprehendi, & datis etiam priuari: ac satis
superq̄

superq; laudis esse duco, cum paupere uidua lau-
dari à Christo, quæ duos obolos in Gazophilace-
um dedit. Christus augeat in nobis omnibus gra-
tiam & dona sui spiritus, diligentiam indefessam
excitet, incrementū largiatur, ut labores nostri
fructum multum adferant, quos in uita æterna
percipiamus cum omnibus electis sanctis. Amen.

ARGVMENTVM.

PSALMI XLVI.



LIQVANTO TEM-
pore consolatorias ali-
quot habui conciones, è sa-
cris literis instruens, quæ
uera sit ad mortem præ-
paratio, & ut animi dei
uerbo muniendi sint contra terrorem mortis.
Post eas sanè pro ratione temporis, alijs nouis cõ-
solatorijs concionibus opus nobis esse animaduer-
to, quibus erecti præparemur ad fortiter subeun-
dum & perpetiendum aliud genus mortis crude-
lius, cuius non dubia prognostica oculis nostris
obuersantur. Hostes nominis Christi minantur
nobis stragem multo terribiliorem, quàm ab ulla
peste seu a intentetur. Tyranni multo grauiorem

*Mors sancto
p[ro]p[ri]a in
oculis d[omi]ni*

Mors beator[um]

metum horribilibus tormentis & diris cruciatibus incutiunt, quàm mortis timore animi adficiuntur, cum deus paterna uirga corripuens tranquilla morte suos ad se colligit, & ad suas poenas abripit impios. Est quidem sancta mors, preciosa in oculis dei, et fidelibus præclara corona gloriæ, propter nomen Christi dura pati & mortem fortiter oppetere, ita enim celebratur martyrium, Christi mors, psalmo 115. & à Christo pronuntiantur beati, qui patiuntur propter iusticiam, coram mundo: tamen formidabilis est absque Christi fide & robore spiritus sancti, à qua etiam iuxta carnis imbecillitatem sancti abhorrent. Diffugiunt homines metu placidæ mortis, cum apud charissimos propinquos, amicos & familiares in sua cuique domo & lecto defungi licet: quanto magis auersantur & fugiunt uiolentam cædem, quando bene ualidi, etate & uiribus integri necitantur? Nec uero per se solum terrorem incutit Tyrannorum crudelitas, sed etiam auget eam & intolerabiliorem facit accusationis indignitas, & iniquitas iudicij, quòd innoxios damnatos tanquàm sceleratissimos crudelissimis pœnis adficiunt. Iam quanto uehementiùs mors à Tyrannis illata, quam communem lege nature imposta terret: tanto fortius ad illam superandam armandi sumus.

mus. Vincet aliquis formidinem mortis, quam na-
 turæ lex adducit, quia uidet ineluctabili fato ce-
 dendum, nec uia euadendi ulla pater: uolente ue-
 ro mortis timorem non ita facile quis subegerit,
 intrepidòque animo illam aggrediatur. id quod
 tum factu longe est difficilimum, cum uia, qua
 mortis periculum euitetur, ostenditur, & uitæ be-
 neficium offertur ijs, qui abnegare malunt doctri-
 nam Christi, quàm in uitæ discrimen uenire. *Nota*
 Vbi eò loci res adducitur, multo periculoſior & no-
 centior existit formido mortis, quàm ubi quis
 angitur metu mortis per ſeſe accelerantis. Quàm
 grande autem ſcelus committitur abnegatione
 Chriſti & defectione à uera doctrina, quàmque
 foeda & exitialis hæc eſt ruina: tam eſt Tyrana-
 nicæ uolentiæ malus & deteſtabilis timor, eo-
 que magis inſtructos & corroboratos in tanto peri-
 culo eſſe oportet, ut adiuti dei auxilio, diſcuſſo &
 ſublato impio timore, inuicti conſiſtamus.

Nota

*Abnegatio
Chriſti
4. ſig.*

Cum autem firma conſolatio conſiſtat in fide
 uerbi dei, eque ſcripturis ſanctis petatur, ac præ-
 cipue psalmi omnimoda abundant conſolatione
 aduerſus quæuis mala, inſtitui hoc tempore enar-
 rare psalmum 46. qui inter conſolatorios psal-
 mos eximius eſt, & imprimis ualeat ad conſirman-
 dum animos aduerſus turbas & terriculamenta

*Psalm. 46.
deſignat ac firmat
lib.*

*Psalm: 46: nos
vris hys hinc
bellis hinc
tempore hinc
prium hinc*

mundi. Per omnia congruit hic psalmus tempori-
bus nostris turbulentissimis & circumstantibus
Ecclesiam dei periculis. Deus sæculi huius dira spi-
rat, fremit & tumultuatur, non alia rerum faci-
es apparet, quàm si sæuis ille hostis omnia
in unum cahos confundere uelit, & euertere uni-
uersa. Ita seu a tempestas longè lateq; exurgit in
Ecclesiam, & politias. Omnia mota & conturba-
ta sursum & deorsum agitantur, uacillant, fra-
gorem ædunt, collabuntur, minantur ruinam &
interitum. De his tempestatibus & motibus mun-
di exurgentibus contra Ecclesiam psalmus hic lo-
quitur. Populus dei tristes fundit querelas de a-
trocissimis persecutionibus & tribulationibus,
conqueritur bellicis tumultibus concuti terram,
quicquid est firmum & altum commoueri, & ni-
hil usquam aliud apparere, quàm extremum in-
teritum.

*Nos hinc
prium hinc
vris hinc*

Eadem iam nostra est querimonia & lugu-
bris cantio, de motibus imperiorum², de bellicis tu-
multibus³, de seuitia, quæ exercetur in Ecclesiam.
Nostrū ergo est letum etiam personare carmen,
quod ante nostra tempora Ecclesia in suis peri-
culis leta cecinit: Dominus est refugium nostrum:
deus iacob est protector noster.

Utrung; coniungit psalmus & querelam &
conso-

consolationem: miscet tristia & leta. Vtrunq; fecerunt sancti, non tantum de malis uel presentibus uel impendentibus contristati & conquesti sunt, sed etiam sua solatia ac gaudia decantarunt.

Nec nos tantum tristes querulari, sed etiam letari & exultare in deo oportet, inde petentes solatia & gaudia nostra, unde ante nos in iisdem tentationibus & tribulationibus constituti sua hauserunt. Nec conuenit tantum oculos defigere in presentia uel imminetia mala & calamitates, respicere hostium potentiam furorem, & Tyrannidem: in his solis si oculi hereant, animi aut succumbunt desperatione fracti, aut satanae & impiorum gratiam supplices ambiunt. In extremis periculis & atrocissimis tempestatibus quae nos pene obruunt & operiunt, ad Dei presentiam & auxilium est respiciendum.

Eò nos remittit hic psalmus proponens nobis mala, quibus Ecclesia conflictatur: & praesidia quibus nititur & ex difficultatibus omnibus emergit, & euadit salua. Concedit hostes insurgere, persequi ecclesiam, concitare horribilia bella, extrema intentare: è contra uero docet, quid adiuuenti habeat Ecclesia, quo confortata sese sustentet & in istis tumultibus mundi & satanae persistat immota. Quantūuis extrema experiatur, tum

*Justa illud psalmi 41. Ne timebas quia potens
sum: et psalmi 69. gaude de his qui odierunt te.
cap. 54.*

hominum, tum, inferiorum potestas, prædicat ta-
men futurum, ut imperijs & populis intereunti-
bus maneat Ecclesia, & ciues eius tam deleri non
possint, quàm deus altissimus opprimi non potest.

*Psalmi 69.
Summa*
*Justa illud
psalmi
69. gaude de his
qui odierunt te.
cap. 54.*

Est ergo hæc summa psalmi. Ecclesia quidem
duriter exercetur, gravissimè periclitatur, & ad-
fligitur, non tamen deletur. Quicquid in eâ insur-
git & seuit, interit suo tempore: Verbum autem
& Ecclesia dei permanet in æternum. Potentes
mundi & inferiorum motis persecutionibus op-
pugnant Ecclesiam, & in magnas difficultates &
angustias adducunt: deus autem improbos conatus
frustratur, bella compescit & oppressis hostibus
suis præstat salutem. Docet itaq; fiduciã nostram
collocare in deum, ecclesie eius adherere, divinum
auxilium expectare in persecutionibus & quibus-
cunq; malis. Monet insuper cõsiderare dei opera,
quibus declaravit, quàm mirabiliter populum
suum, perditissimis rebus defenderit et liberaverit:
& inde fiduciam ac spem concipere & obfirmare,
quod in posterum sit erepturus suos electos, &
omnes hostes, mortè quoq; & inferos, sub Christi
et sanctorum eius pedes subiecturus, secundum
psalmi 110. uaticinium: Sede à dextris meis donec
ponã inimicos tuos scabellum pedum tuorũ. Hæc
de argumento psalmi, nũc ad enarrationẽ accedo.

Psalmi: 110:
Deus

Deus nostra spes et fortitudo et
auxilium in tribulationibus .



Multi Psalmi explicant, primum
præceptū: Ego sū Dñs Deus tu-
us, nō habebis deos alienos corā
me: et docent oēm fiducia et præ-
fidiū nostrum collocare in deū.

Ex eodem fonte primi præcepti fluit etiam hic
Psalmus, idq; ita interpretatur et in usum trans-
ferre docet, ut in omnibus periculis confugiamus
ad Deum, et in ipso fortitudinem, salutem et om-
ne auxilium nostrum existimemus positum esse. In
propositione psalmi Propheta tria coniungit,
spem seu fiduciam, fortitudinem, et auxilium. Pri-
mo loco fiduciam ponit, dicens: Deus est fiducia
nostra. fiduciæ addit fortitudinem et auxilium.

Non enim irrita et uana est fiducia in Deum, non
frustra pij confidunt in deo, sed ita ut confortet eos
in infirmitate sua, et in tribulationibus auxilium
ferat. Fides in Deum, habet et adfert secum uerā
fortitudinem, auxilium et certam liberationem: a-
lio tamen modo quàm homines intelligunt, fide cō-
iecti in deum experiuntur eius potentiam: quam
ita declarat, ut suos adiuuet et eripiat, impios
perdat. Dei fortitudinem et auxilium prædicat

Eccle

Ecclesia, non uires et præsidia humana. Impij con-
fisi suis idolis, suam et adherentium eis potenti-
am iactant, pro suæ fidei ratione suum concia-
nunt Psalmum suo Deo, mundi huius principi: No-
stra & nostrorum potentia est nostra fiducia, for-
tudo & auxilium in omnibus nostris conatibus,
successu & tyrannide, terreno deo Antichristo,
eius squamis, adeoq; angelis sathanæ confidimus:
nostra fiducia sua est in multis & magnis popu-
lis, regionibus, opibus & uiribus nostris. Ita
impij gloriantur de hominum & Sathanæ forti-
tudine. Contra pij consistentes in primo præcep-
to, in deo constituunt robur, uires successum et sa-
lutem suam, destituuntur enim fere humanis præsi-
dijs, uel nulla uel exigua ab hominibus habet au-
xilia in rebus adstrictis. Ecclesia in mūdo est, miser
infirmus & derelictus coetus, turba expers poten-
tiæ. Potentes in mundo non solum denegant, &
subducunt pijs auxilium, sed etiam, si quid est ui-
rium, cōcidunt, dtinuunt, et uires suas ad infirmi
populi oppressionem conuertunt, undiq; attri-
bunt ad se potentiam. Plerique fortunam et opes
secuti, ulro se persecutoribus adiungunt.

Quod si pij pollent aliquantulum potentia, si
habent munitas urbes, copias, fœdera, & alia ex-
terna præsidia: utuntur his quatenus deus concessa

fit, & fiducia à deo in res externas non transferatur, eorumq; usurpatio dei ordinationi & uoluntati non repugnat. Non ex his rebus sibi faciunt idola, non in munitionibus, armis, copijs, & hominum auxilijs constituunt fiduciam, defensionem et salutem suam: sed his medijs, cum adsunt, ita utuntur, ut nihilominus fortitudo & spes salutis in Deo sit reposita. ideoq; pij inter suam & impiorum fortitudinem, & auxilia, discrimen faciunt, cum Deum agnoscunt esse suam spem & robur.

Nam pronomen, nostra, demonstrat certas & distinctas personas, nempe Dei populū, et membra uera Ecclesie, à quibus separat impios. Ecclesia sanctorū infirma, ærūnosa, adflucta, & deserta, de se ad dei gloriā canit: Deus est nostra spes, nostra, in quā, q̄ sumus miseri, adflucti, exposui odijs et iniurijs hominū, qui uersamur in magnis difficultatibus, qui in angustum sumus redacti undiq; accisi & oppressi. Nostra spes est deus, non hostium nostrorum, qui superbiunt de suis uiribus & portis inferorum, qui in nos conspirant & crudeliter exitium nobis machinantur.

Hac diuini auxiliij prædicatione sancti confitentur suam impotentiam & periculū, quod nisi Deus subueniret & confortaret eos, nihil reliquum esset
spei

Spei et auxilij, desperata forent omnia. Exag-
geratur autem non solum Ecclesie imbecillitas, et
magnitudo presentium periculorū: sed etiam ex
opposito amplificatur dei potentia in miseris &
perditis iuuandis & seruandis. Conqueruntur san-
cti se comprehendi tribulationibus: & quidem ma-
gnis: sed his opponunt dei fortitudinem & adiuto-
rium, quod est longe potentius cunctis malis. Du-
plices autem sunt calamitates, quibus premuntur
pij: alie publicae, alie priuatae. Publica mala ua-
gantur per totam Ecclesiam & omnia eius mem-
bra attingunt: uel quia pij simul sustinent odium
sathanae & mundi, aut certe expositi sunt & ob-
noxij odijs & persecutionibus impiorum: uel
quia pars communium ærumnarum ad omnes
peruenit: uel quia fratrum suorum cladibus &
damnis tum etiam adficiuntur, cum ipsi fruuntur
pace & saluis suis rebus. Præter publicas calami-
tates priuata onera sentiunt pij, siue aduersa uali-
tudo premat, siue paupertas molestat, siue alia in-
fortunia et incommoda prægrauent. Vtriusq; ge-
neris calamitates permagna, uariae, graues &
difficiles incidunt. De utroq; genere Ecclesia desert
querelam ad Deum, & in his se consolatur, quod
Deus sit benignus & fortis adiutor ac liberator.

Non prætereamus hoc sine diligenti animi con-
sidera-

Hyderatione, quod tum in hoc tū in alijs psalmis,
nec non in historijs sanctorum uisitatam hanc repe-
rimus querimoniam & confessionem, de tribulati-
onibus & miserijs illorum, quæ testimonium præ-
bent multiplici experientia confirmatum, charos
Dei filios multifariam affligi & exerceri. De se-
si quidem totaq; Ecclesia scribit David ac ueluti de-
monstrat electos dei sanctos dicens: Tribulatio-
nes nos comprehenderunt. Et alio psalmo legitur:
multæ sunt tribulationes iustorum, sed ex omnibus
his liberat eos deus. Per magni refert, nos probe
nouisse & persuasissimum habere, cum & nos
magnæ tribulationes partim comprehenderint,
partim undiq; nos quasi infestis signis circumstet,
& in nos impressionem faciant. Prodest id scire
contra hostium, et propriæ rationis falsum iu-
dicium.

Maleuoli nostri iudicant causam nostram ex re-
bus nostris arctis & aduersis, et ex suis amplis
& secundis: damnant nostram doctrinam de here-
si, obedientiam erga Deum & constantiam de re-
bellione, quia difficili & tristi loco res nostræ uer-
santur: & quia ui nobis præualent, suam impieta-
tem & iniustitiam pietatis ac iustitiæ nomine uen-
ditant: quia in fortunæ molli sinu et amplexibus fo-
uentur, suaq; feliciter promouent, urgent & sta-

biliunt. Nō multo syncerius ex nostræ rationis mā-
gisterio & sensu iudicamus nosmetipsi, cum no-
stra in dubium ueniunt, forsque nostræ infœliciter
cadit, hostis uero fœlicissime cadunt omnia. Ra-
tio enim iudicat, qui bonam habent causam & De-
um fauentem, non deuenire in angustias tristioris
fortune, non obrui malorum procellis, nec ledi
grauiter posse. Si qui casibus durioribus subiacent
& inclementius à fortuna tractantur, eos sentit i-
rato deo pœnas dare uiolatæ religionis, corruptæ
doctrinæ, et cultus Dei, uel alioqui ob iniusticiam
atque improbitatem plecti. Hinc demum homines sic
statuunt, calamitosos & abiectos, hominum gra-
tia & auxilijs destitutos, expertes etiam esse diui-
næ beneuolentiæ: & quia ab hominibus malè mul-
tantur, Deum quoque odio & uindice ma-
nu eos persequi. Iudicium autem de miseris pi-
orum & impiorum fœlicitate, longe aliter infor-
matur ex uerbo dei, longe diuersum auditur in
huius psalmi querela, & aliud inuenitur in hi-
storijs totius ecclesiæ dei: uidelicet, quod etsi fide-
les redigantur in angustum, & conflictentur tri-
bulationibus magnis, tamen non male propitium
habeant Deum, nec à Deo sint uel derelicti uel ab-
iecti. Non ita sinistre uerbo & spiritu Dei re-
tè instituti calumniantur suas calamitates. Non
et hunc

trahunt eas in argumentum iræ Dei, neq; ad despe-
rationis materiem: non quæ acerbæ eis accidunt
in eam interpretantur partem, quod rei sint uicla-
tæ religionis aliorumue scelerum, de quibus ab
inimicis accusantur, quod pœnas meritas exoluant,
& quod deus in animo habeat, eos prorsus perde-
re, quia aliquandiu mala inualescere permittit.
Penetrant fidei perspicacitate per istas atras &
densas nebulas præsentium ærumnarum, Deiq;
consilium, benevolentiam & gratiam abscondi-
tam intuentur, speq; firma ac infracta hærent in
expectatione promissæ à Deo liberationis. Si obie-
ctat se ingens moles malorum: contra animis pijs
obuersatur Dei potentia ualidissima & præsentis-
sima, sicut inquit Ioannes: Maior est qui in nobis
est, quàm qui in mundo. Piorum fiducia forritu-
do & salus tam certa, infallibilis & stabilis est,
quàm potens firmus & stabilis est deus. Atq; idcir-
co sinit Deus suos cingi, coarctari, & premi tribu-
lationibus, sinit aliquandiu conculcari, impios ue-
ro agere triumphos: quod uult declarare suam
fortitudinem, & operibus manifestam ac conspi-
cuam reddere potentiam atq; bonitatem suam,
suosq; excitare ad personandum lato animo ple-
noq; ore hoc carmen: Deus nostra fiducia in tri-

bulationibus, hostium uero superbiam, insolentiam,
gloriam & triumphos summa confusione disper-
dere. Proinde opponit propheta ipsummet Deum
manibus persecutoribus, omnibus angelis malis,
omnibus uiribus, furoribus & Tyrannidi tam
satanæ, quàm mundi. Quod si cōfidenter se illi esse
runt & præbent se formidabiles, nostrum est sub-
limes gerere animos confisos dei potentia, et mun-
dum cū toto satanæ regno despicere, et reputare no-
biscū, qd Deus sit, et possit: qd item hostes sint. Esto
qdem sint præpotentes, astuti, sapientes, instructi
consilijs & opibus, atqui nō sunt nec unquā erunt
Deus, sicut mira Tapinosti Esatas capite. 31. eleuat
Ægyptiorū ualidas opes, cum inquit: Ægyptus
homo est, & non Deus. Confidant sanè & iactent
se insolenter in terrorem miserorum de regnis, re-
gionibus, populis, urbibus munitis, armorum ap-
paratu & usu: at quid tandem illa sunt? non uti-
q; deus, sed uana idola, terra, puluis, ligna, lapi-
des, æs, ferrum, adeoq; ipsimet superbi domini ni-
hil aliud sunt, quàm puluis & lutum. Deus uero
quis est? omnipotens, conditor, æternus, domina-
tor super omnes res conditas, qui facit in caelo &
in terra quicquid placet eius uoluntati. Ab hoc
uero omnipotente æterno deo omnes sancti in om-
nibus tribulationibus petiuerunt opem, & salu-

tem consequuti sunt: fide in deum se sustentarunt,
& euaserunt uictores in cunctis aduersitatibus.
Hebræorum. XI. Idem Deus eripiet ex suis miseris,
quotquot confidunt in eo. Non enim sinit suos
deuenire in calamitates, ut funditus pereant, sed
glorioso inde educantur: & cum uidentur pessum
ire in præsentibus calamitatibus, tum tamen De-
us liberat eos etiam in morte & ad perennem for-
licitatem perducit.

Propterea non timebimus eti-
amsi turbabitur terra & ruant
montes in medium maris.

Etiamsi fremant & conturben-
tur aquæ eius, & montes con-
cutiantur à tumore eius.

Propheta ut sapiens architectus primum firmum
ponit fundamentum, cui ædificium super-
struit. Deum constituit fundamentum dicens: Deus
est spes nostra: cui superstruit ædificium ualidum
& tutum contra metum & desperationem, cum
inquit: Propterea non timebimus &c. Præmittit
initio psalmi de tribulationibus magnis, et prædi-
cat dei potentiam & auxilium: hoc loco describit
ingentia ecclesiæ pericula his uerbis: Etiamsi ter-

ra turbabitur, etiam si fremant et turbentur aque
eius & c. periculis opponit fiduciam de Dei poten-
tia & auxilio. Evidenti hypotyposi depingit peri-
cula ea specie & ratione, ut hostes ea faciunt ualde
de terribilia, & pij iuxta carnis imbecillitatem ea
metuuntur. Hostes se præbent truculentos & formi-
dabiles, tetrīs bellis tumultuantur, late uastant po-
pulos, ciuitates & regna, & omnia reddunt infe-
sta & horribilia. Si spectentur hostium crudelitas,
perfidia, bellicæ clades & uastationes, non alia
rerum facies occurrit, quam si euertere orbem,
montes loco mouere, & in mare transponere
uelint. Ita seuiunt impij, ut terrorem incutiant
pijs & metu percussos adigant, ut Christi confessione
abiecta, subijciant se ipsorum libidini & Antichristi
regno. Ab illa horribili specie furentium hostium
spiritus sanctus auocat animos, & hortatur
ad ueram fortitudinem & constantiam, quam
docet esse, fiduciam in deum. Si inimici fremunt, suas
as undiq; adhibent machinas, & multas præbent
timoris causas, ut deficiamus à deo: nostrum est,
in cordibus nostris magnificare deum, & in uera
fide sic insultare conturbantibus terram, & cœlū
terræ miscentibus: Etiam si terra conturbatur &
ruant montes in medium maris & c. Insurgant
in ecclesiam Satanae coniurati, concutiant & tre-
me faci-

nefaciant orbem, euertant & uastent terram, ta-
men montes sinent suo consistere loco, non montes
transferent in mare, non Oceanum obiectis molib-
us obstruent, non cœlum expugnabunt, etiamst
Gyantium more oppugnent. Deus terram ita firmis
fundamentis communiuit, montes ita fecit stabiles,
ut orbem terræ non impellant ad ruinam, nec montes
deturbatos loco in mare transponant, Non ideo terra
trepidans nutabit, non cœlum ruet, nec montes conterriti de
suis sedibus in mare migrabunt, quod hostes crudeliter
grassantes interitum minantur. Quod si auxiliaribus copijs
è tartaro accitis tantum ualeant uiribus, ut permutante
Deo euerterent terram, rupes de suo loco amolirentur,
& quicquid usquam est firmum conuellerent: tanta
tamen Dei est potentia, ut collabentibus et pereuntibus
omnibus, nos seruare possit. Quare nullius mali metus
nos ad subdendum nos impietatis iugo, & impiam
obedientiam Tyrannis præstādam. De impio timore loquitur
hic psalmus. Impius autem timor est, seposito timore
Dei, perturæscere hominum malam gratiam, iram,
inimitias, Tyrannidem, damna rerum, iacturam uitæ,
plus timere hominum quam Dei iram & comminationes.
Ad tam impium timorem persecutores sollicitant
pios edictis, proscriptioni

bus, minis, blandis & fallacibus promissis, bellis,
rapinis, cædibus, deniq; omni genere seuitiæ. Et
huc homines ducuntur peruersitate corruptæ na-
turæ, ut citius hominum, quàm dei timore adfici-
antur. Corruptus ille Adamus præpostere metuit,
timet ubi nihil opus est: ubi opus est, metu uacat.
Timidus Adamus anxie refugit hominum iras,
odia, pericula bonorum et uitæ, posthabito timo-
re Dei: hæc quantum potest cauet & deuitat. Tan-
tus terret metus homines peruerse timidos, ac si
terra collapsura sit, montes in mare se proiecturi,
cælumq; ruiturum. Meticulosi nesciunt canere hu-
ius psalmi cationem: Non timebimus, etiam si con-
turbetur terra. Ignorant dei potentiam, diffidunt
de eius auxilio, non erigunt se in asperis rebus fi-
ducia auxiliij diuini. Extra periculum quidem in
rebus prosperis, in bona pace, mundi gratia &
amicicia stantibus, fortes gerunt animos, ibi nihil
metuunt: at securum istum animum et impavidum,
non in deum fiducia, non fortitudo, non auxilium
Dei, sed opes, arma, munitiones, fœdera, currus,
equi, et alia externa præsidia faciunt. Ab istis forti-
bus uiris inuertitur psalmicanticum, & hoc sen-
su decantatur: Nostra regna, oppida munita, mu-
ri, opes, sunt refugium nostrum, ideo non time-
mus. Sic fortibus & animosis in periculis & tribu-
latio

lacionibus facile labascit animus, anxij metu uel
desperant, uel quæruñ inconcessa præstidia, quibus
se explicare satagunt siue ex presentibus siue im-
pendentibus periculis: fides uero in rebus dubijs
difficili loco positis tam læta exprimit uerba:
Non timemus &c. Ex solo fideli corde prouenit
sancta hæc gloria. Per facile est, eadem ue-
ba sonare, dicere, scribere, canere, sine fide, ubi nihil
est periculi, & crux procul abest. Ex uera fide sub
cruce hæc uerba proferri uolunt. Si quis non nouit
hoc psallere carmen. Deus est refugium nostrum,
cum mundus nos tribulando fatigat: nondum pro-
bè didicit huius psalmi cantilenam idq; prodit im-
pio suo timore, prauis suis consilijs & actioni-
bus. Vera fide & indefessa spe ex Deo pendentes, in
aduersis uere psallunt: Non timemus &c. Nos ni-
mirum, qui in deo confidimus, robur & adiutori-
um nostrum in Deo reponimus, non in nobis, non
in mundo, nec in ullis rebus quas u-
stus mundus
habet. Dediti Deo, eiq; adherentes fide, magnanimes
sunt Heroes, fortissimi Hercules & Atlantes, qui
infracti & intrepidi consistunt, cum terra contur-
batur, montes commouentur, cum rectores tene-
brarum cum tota malorum colluue conuellere,
dissipare & destruere moluntur, quicquid uerbo,
ordinatione & legibus Dei est firmatum. Ideoq; a

prudentibus secundum carnem habentur pro in-
Janis, superbis, temerarijs & desperatissimis, qui
eum læto animo liberam uocem edere, uno hiscere
uel gemere audent, cum mundus nutat, trepidat,
uacillat, & cuncta manantur horribilem ruinam
& interitum: & uident se infestari mole malo-
rum, & tamen quasi beati & collocati in cœlo tri-
umphant, & quasi ^{in uisibus} canunt iam pene ob-
rui malis. Nos non timemus nec gladium, nec fa-
mem, nec mortem, non paremus impijs edictis,
non reuertimur in Ægyptum, non redimus ad
damnatas & proiectas superstitiones. Tam san-
ctam fortitudinem & constantiam sapientes secun-
dum seculum rident & damnant pro temeritate,
uana superbia, amentia, perditâ obstinatio & de-
speratione. Deo fidere, ab eius pendere potentia, di-
aboli furores contemnere, id est istis sæculi sapi-
entibus, esse pertinacem, durum, desperatum &
deum tentare. Verum pios nihil moueant iniqua
ista iudicia, non ad ea se attemperent, sed audiant
spiritum sanctum in hoc psalmo & alijs pluribus
locis pronunciantem, quod sit fortitudo & super-
bia sancta, cœlestis & diuina eorum qui sperant
in Deo, Deum timent, diligunt, quiq; rennuunt quic-
q; probare concedere, recipere uel exequi ex pro-
postero carnis metu, quod Dei uoluntati contra-

eat. Ab his celebratur Dei potentia, & auxilium:
extollitur etiam in summis periculis, & opponi-
tur peccato, morti, mundo & cunctis, quæ sunt ter-
rifica, & ad impium timorem sollicitant. Colli-
gant alij, quibus spes salutis non est sita in Deo, &
exaggerent pericula, damna, clades, uastationes,
& quæcunq; ualent ad percellendum animos in-
genti timore et trepidatione: pij contra colligunt,
amplificant & euehunt Deum, uerbum promissio-
nis, potentiam & auxilium Dei, & in hoc acqui-
escunt, spiritu sancto corroborati, quod Deus est
spes & fortitudo ipsorum, & sic uanum & noxi-
um timorem depellunt. ita quantumuis magnas et
multas pij habeant trepidationis & desperatio-
nis causas, multo plures tamen & maiores ha-
bent spei, fortitudinis, securitatis, lætitiæ, ut in
deo glorientur & triumphent, omnemq; anxium
metum à se repellant, perq; mala omnia perrum-
pant uictores. Mich. 2

Tamen ciuitas Dei cum fonticu-
lis suis iucunda manebit.

Causæ adduntur cur pij consisti Deo non pertime-
scant, etiam in summa rerum omnium perturbati-
one. Fortitudinis constantiæ piorum, causæ sunt.
Ciuitas enim Dei læta manebit, ubi sunt habitacu-
la alij summi: Deus est cum ea, et adiuuat eam mane.

Operæ pretium est hoc loco scire, quænam hæc
sit ciuitas Dei, quæ læta manet, uel mundi machi-
na collabente, ut cõstet nobis unde hæc ciuitas tam
sit fortis & inuicta: quinam sint ciues habentes
ius huius ciuitatis: indeq; nobis suppetat consola-
tio, nos mansuros quantumuis impij insaniant &
oppugnent hanc ciuitatem, ut expugnatam euer-
tant.

Ciuitatem Dei uocat propheta: Ecclesiam seu
populum Dei, qui uerbo Dei credit, Deum agno-
scit, & timet, & fiduciam suam in deum collocat.
Ita enim in primo uersu Dei populum describit.
Nam eorum, qui fidunt deo & Deum timent, hæc
est oratio: Deus est spes nostra etc. Ecclesiam com-
parat ciuitati, ut et psalmo 122 facit: Hierusalem
est edificata, ut sit ciuitas. Est enim Ecclesia socie-
tas fidelium & piorum hominum, qui concordēs
in Christi doctrina, fide & obedientia Dei cohabi-
tant in toto orbe terrarum, quemadmodum ciues
in una ciuitate, & societate cohabitant. Hic coetus
ciuitas Dei dicitur, quia deus edificat, colligit, re-
git & defendit eum. Conscripti in hanc ciuitatem
habent dei uerbum, promissiones & cultum, pro-
fitentur doctrinam et religionem, quæ è Deo est.
Hic coetus timet & colit Deum, Dei uoluntatem et
opera cognoscit, Deo curæ est, deus habitat ibi,
præ

5
presidet ei, per uerbum spiritu suo regit & sanctificat. His de causis Ecclesia appellatur dei ciuitas. indicantur cause à propheta cur Ecclesia sic appelletur. Laudat enim caelestem illam ciuitatem, quòd ibi sint habitacula altissimi, quòd Deus sit cum ea, quòd adiuuet eam, et ibi fluant riuuli dei.

In hanc ciuitatem dei diræ excitantur tempestates, & insurgunt procellæ persecutionis, magnæ tribulationes & turbæ commouentur contra eius ciues. Hypotiposi motuum, tumultuum, & periculorū, statim subdit propheta de ciuitate Dei, leta in illis motibus mansura. Nam motus illi concitantur contra Ecclesiam.

Ciuitatem Dei odio habet Sathanae ciuitas, coluuius illa impiorum, quippe quæ odit Dei religionem, cultum, populum et quidquid ad Deum attinet, eamq; delere conatur. Hac conuertunt uires, consilia et opes suas sapientes, sanctuli et potentes mundi, ut funditus deleant Ecclesiam ædificatam super petram Christum. Cum tam angeli quàm homines mali implacabili odio persequantur Ecclesiam, et ciuitatem Dei excindere moliantur, nullo modo uidetur posse consistere. Est enim ciuitas coram mundo imbecillis, misera, sine potentia et presidijs humanis, exposita atrocissimis et infestissimis hostibus, qui internecionem ex-

trementam minantur, et spiritui dei consolanti pios,
quod mansura sit Ecclesia, utcumq; insaniant perse-
cutores, nefarie contradicunt. Non manebit ista
ciuitas Sathanae (sic enim execrantur Dei ciuita-
tem) nos nostra omnia, bona et sanguinem impen-
demus ad subuertendam eam, et ita delebimus,
ne uestigia, nec memoria eius ulla relinquatur.
Quid aliud hodie in animo habent et moluntur
nostri Carnitae? si spectes odia, improbitatem, a-
stutiam, opes, consilia, perfidiam, prodiones
hostium, plane apparet, deleta dei ciuitate, Sathanae
ciuitatem mansuram. Non aliud in mentem uenit
et obuersatur ciuibus et habitatoribus ciuitatis
Dei, praecipue imbecillioribus in fide et in summo
descrimine constitutis, quam eam deletum iri, et se-
una perituros. Sed contra has cogitationes et ho-
stium confidentiam et insultationes proponitur no-
bis a spiritu paraclito promissio plena consolatio-
nis: Ecclesia manebit et letabitur, quia Dei ciuitas
est, altissimus habitat ibi, cuius habitacula necesse
habent inuolata relinquere. Deus adest et auxili-
atur ei, defendit eam, ideo excindi non potest. Ad-
iutor et defensor Ecclesiae Deus est inuictus. Est ita-
q; fortis et inuicta Dei Ciuitas. Habet enim Dei for-
titudinem et potentiam: quandoquidem Deum ha-
bet presentem, & altissimus in ea habitat.

In externis quidem bonis ciuium Ecclesie calamitas incidere, & grauiam infligere damna potest, urbes & regiones ab hostibus Deo permittente deuastari possunt: non propterea tamen ciuitas Dei interit, muri eius non quatuntur neque conuelluntur ariete, nec dirui se sustinent spirituales communioniones, quas habet. Ciuitas Dei non sunt oppida, non urbes, non aedificia constructa lapidibus, lignis, calce, arena & huiusmodi materia: sed est spirituale aedificium ex uiuis lapidibus extructum, cuius fundamentum est Christus. 1. Corinth. 3. 1. Pet. 2. Murus igneus dominus exercituum. Zacha. 2. Proinde ciuitas illa non potest destrui, excindi & interire, quemadmodum alia aedificia, arces & urbes excinduntur et pereunt. Latissime per totum orbem ciuitas Dei exaedificata est, non certis locis definita & conclusa. Quam late Dei uerbum et fides Christiana se extendunt, quam late regnat Christus: tam late ciuitas illa sancta obtinet locum in toto mundo. Vbicunq; sub sole uiuunt homines uera dei cognitione praediti, qui diligunt Iesum, sermonem eius seruant, sacramentis rite participant, et reguntur a spiritu domini: ibi Dei ciuitas est, quae manet in aeternum, ut Dei uerbum et fundamentum Christus, cui superstructa est Ecclesia, in aeternum permanet. Moriuntur quidem

pij, alij à morbis debilitati oppetunt mortem, alij a tyrannis trucidantur, nihilominus tamen manet ciuitas Dei. Nam semper Ecclesia propagatur, seruantur aliquæ reliquæ, et postq̃ morte extincti fuerint Ecclesie ciues, tamen uiuunt et in aduentu Christi resuscitantur ad uitam æternam. Hinc Christus dicit: portas inferorum non præualiturus aduersus Ecclesiam super ipsum fundatam. Verissime itaq; dicitur, Ecclesiam non posse interire, deum non deserere Ecclesiam: modo hæ sententiæ intelligantur de uera Ecclesia, quæ Dei ciuitas est, in qua habitacula sunt altissimi, et riuuli uerbi et gratiæ spiritus sancti perpetuo fluunt, et nõ detorqueantur ad cœtum impiorum, qui nõ Dei sed Satanae est ciuitas. Oportet nos Dei ciuitatem et eius ciues probe dinoscere à Satanae colunt, ut nos adiungamus ueræ Ecclesie, et adsonanti populo Dei in eius cœtu permaneamus, ut uerè profiteamur, nos esse conciuies supernæ ciuitatis, letiq; prædicemus, nos mansuros cum Deo in æternum.

Cum fonticulis suis &c.

Quantum Hierusalem in sacris literis Dei domus et ciuitas dicatur, et totum hunc psalmum Dauid de Ecclesia Hierosolymitana scripserit: recte tamen de catholica Ecclesia Christiana. exponitur.

Christi

Christi enim Ecclesia est sancta illa Dei ciuitas,
quæ per totum terrarum orbem doctrina Apo-
stolorum est extructa.

Hierusalem appellatur Dei ciuitas, eò quòd
habebat uerbum Dei et cultum diuinitus institu-
tum, nec non pmissioes de Christo: & Deus ade-
rat inter illos suo spiritu ac donis, et populum su-
um contra hostes protegebat. Hæc omnia adhuc
habet Ecclesia Christi, ubicunq; pij fide in Chri-
stum collecti, in nomine eius Deum inuocant. Atq;
hæc promissio et consolatio ad Ecclesiam totam
pertinent: quòd hæc ciuitas iucunda manebit, et
amissam totus mundus ac ualidæ inferorum
portæ oppugnent et funditus euertere uelint.

Nec solum hæc ciuitas manebit, uerum etiam
iucunda cum suis fonticulis erit. Quia uero pro-
pheta hic similitudine utitur, qua Ecclesiam Dei
ciuitatem uocitat: in eodem persistens simili, lau-
dat hanc ciuitatem, uti solemus laudare ciuitates
à suis bonis ac commodis, quibus excellunt. Ma-
gna ornamenta & dona eximia sunt ciuitatum, flu-
mina, fontes & agri, in quibus non solum oblecta-
tio sed etiam communis utilitas queritur, cum ex
ijs parentur ea, quæ ad uictum & ad cultum sup-
pedient.

Commendantur etiam ciuitates eo nomine,

quod potentes, diuites ac celebres uiri eis inhabitarent. Ad hunc modum depingit propheta Dauid spirituales piorum ciuitatem & maxime duo ornamenta præclara commemorat.

Primum prædicat eam, quod sit iucunda & grata, propter flumina ac fontes, quibus abundat. Deinde ea de causa eam laudat, quod in illa ciuitate sint habitacula altissimi.

Fontes huius ciuitatis sunt Euangelium de Christo Iesu, læta promissiones de misericordia & gratia dei, spiritus sanctus cum suis donis, item baptismus, quem Zacharias propheta fontem nominat, qui patet in ecclesia Christi omnibus ad peccati ablutionem, quemadmodum etiam Christus & Apostolus Paulus definiunt baptismum, quod lauacrum sit regenerationis per spiritum sanctum. Ad hæc credentes in Christum dicuntur fontes ac riuuli, propter doctrinam Christi, & dona spiritus sancti, quæ ab eis ad alios profluunt, cum scilicet doctrina & donis suis inseruiunt Ecclesie. De his fontibus dicit Christus Ioan. 7. Qui credit in me, de eius uentre flumina fluent aquæ uiuæ. Hæc flumina ac fontes reddunt ciuitatem Dei iucundam & lætam. Euangelium enim Dei, gratia, consolatio, pax conscientie, & id genus alia dona spiritus sancti, reficiunt & exhilarant animos, omnemque

molestiam & tristitiam peccati & mortis tollunt: conscientiae afflictæ ex Euangelio hauriunt consolationem, & contra omnes angores ac dolores animi erecti confirmantur. Hac de causa Christus stientes ad hæc amena flumina uocat, ut bibant seq; recreent ac colligant. Et uocat hanc aquam, quæ ex his fluminibus promanat, aquam uitæ, eo quod illa mortem aufert, & ad uitam æternam bibentes deducit. Quicumq; enim in Christum credit, is habet uitam æternam, nec uidebit mortem in æternum. Hæc flumina cum tam sint salubria, tamq; iucunda, ut æstum peccati extinguant, & qui ex ijs potant, ex morte & inferno liberentur, uitam ac leticiam perennem consequantur: grauissimo odio satanæ persequitur, non potest ferre sanam & salubrem Euangelij doctrinam, & iucundas aquas, quæ inde profluunt. Tantum id agit obstinate, ut hos fontes obstruat: sicut Philistini fontes Abrahamo obstruebant, Gen. 26. quos Isaac rursum post mortem sui patris aperiebat. Quando diabolus hos Euangelij, gratiæ Dei, & uitæ æternæ fontes non potest exiccare, tum tamen insicere ipsos & turbare conatur, sua uenena, hoc est, mendacia, doctrinam falsam & hæreses admiscens. Diabolus suas habet paludes ac stagna, mendacijs & pestiferis doctrinis infecta, quæ

et salubria esse predicat, et iucunda, ad quæ suos inuitat, qui patiuntur se mendacijs seduci, ut auidè hauriant; et tamen nihil ex ijs diaboli stagnis ac paludibus sumunt præter lethale uenenum.

Si diabolo et ministris eius consilia sua non succedunt, si satanæ cisternas et paludes homines admoniti fugiunt, et fontes aquæ uiuæ sequuntur: tum uero irritati fremunt et persequuntur ciuitatem Dei, quia ibi uitæ et gratiæ fontes fluunt, quibus homines ad æternam uitam reficiuntur. Hinc est, quod in hoc psalmo Dauid scribit de tempestatibus, motibus et procellis persecutionis ingruentis contra huius ciuitatis ciues. Sed contra addit insignem consolationem, quod hæc ciuitas cum suis fontibus iucunda remanebit, etiamsi subuertatur terra, et præcipitentur montes in medium maris, et præ tempestate ruant omnia, quæ loco altiori et munitiori sunt collocata.

Cum diabolus hos fontes uult turbare et obruere, ac crudelissime contra Ecclesiam Dei suam Tyrannidem exercet: tum Deus ipsos fontes diligentius tuetur, ac facit ut copiosius fluant. Et si uano loco clausi desinant fluere, tum tamen alijs locis rursum recludit. Eòq; omnem nos operam conferre oportet ut hi fontes maneant ac conseruentur.

tur, si modo boni ciues esse & fidem nostrā Eccle-
siae prestare studio habemus. Est hoc officium Chri-
stianorum, & maxime eorum qui in Ecclesia do-
cent, ut hi fontes conseruentur, quos Deus primum
per patriarchas ac prophetas, deinde per Aposto-
los suos aperuit: unde deducant riuulos doctri-
nae, ex quibus haurientes refocillent, sitientes & la-
borantes reficiant. Quod qui fecerint, benedice-
ntur à domino, & primi haustum refectiois ex iu-
cundis his fontibus, qui ad uitam deducunt, hauri-
ent, ac in aestu refrigerium sentient: deinde alios
etiā leta doctrina & consolationibus reficient,
quemadmodum propheta de doctoribus Ecclesiae
scribit psalmo. 84: Transeunt per uallem lachri-
marum & faciunt fontes, & multa benedictione
ornantur.

Vbi habitacula sancta altissimi.

Exposui priorem partem, in qua laudatur
sancta Dei ciuitas à fontium amoenitate: qui fontes
significant Euangelium, abundantiam gratiae
Christi, spiritum sanctum eiusq; dona. Nam sola
Euangelij doctrina, gratia Christi & spiritus san-
ctus tristes animos recreant & conscientias luctan-
tes exhilarant, promissione de remissione peccato-
rum & uita aeterna. iam reliquam partem attingam,
ubi dignitas huius ciuitatis praedicatur ex

eo, quod in illa sint habitacula altissimi.

Describitur in hac parte psalmi quam splendida habitacula habeat ciuitas dei, & unde ea preclara & magna censeantur. Excellentia & dignitas horum habitaculorum posita est, in sanctitate & amplitudine Dei, qui ibi habitat. Magna laus est, si quam ciuitatem honesti & eximij uiri incolunt: sed multo maior laus est spiritualis ciuitatis, quod ciues habet sanctos & altissimum inhabitatorem. Ab incolis suis dicuntur habitacula sancta. Ciues enim ac incolae ciuitatis Dei Hierusalem, hoc est, Christicolae fideles sancti sunt, eò quod sanguine Iesu Christi sanctificati & mundati sunt à peccatis suis. Quemadmodum apostolus Paulus eos, qui in Iesum Christum credunt sanctificatos dicit, ac sanctificationem illorum Christo Iesu adscribit. Christus factus est nobis à Deo sanctificatio et redemptio. 1. Corinth. 1. Et. 1. Corinth. 6. Abluti & sanctificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi. Atq; hoc loco propheta ostendit, quod credentes in Christum sancti sunt, propter altissimum qui in eis habitat. Altissimus quia sanctus est, etiam habitacula illius sancta dicuntur. Nam à Deo sanctificantur credentes & consecrantur in templum sanctum, remittit eis peccata, deligit & acceptat in populum suum, dat illis spiritum san-

ctum

Etum qui illos porro sanctificat, reliquam immun-
diciem abolet, fidem adauget & confirmat, &
ad uitae sanctimoniam excitat ac ducit.

Hec sanctificatio, Dei ciuitatem ac habitacula,
à diaboli ciuitate ac habitaculis discernit. Dei ha-
bitacula sunt sancta: diaboli ciuitas & impiorum
habitacula sunt prophana et immunda: tum quia
Satan immundus est spiritus, tum quia impij fidem
nullam in Christum habent, & uitam uarijs scele-
ribus sine poenitentia inquinatam agunt. In im-
pijs non habitat Deus, qui cum sit sanctus, sancta
habitacula amat. Diabolus cum sit impurus &
vixat & habitationes in prophanis, impijs &
impuris obtinet. Quemadmodum igitur pij cre-
dentes, sunt templum Dei uiuum, sicut Paulus eos
uocat, 1. Corinth. 3. quia spiritus Dei in illis habi-
tat: ita impij sunt templum Diaboli, & falso glo-
riantur se populum & habitacula Dei esse. Ibi
enim solum Dei ciuitas ac habitatio est: ubi spiri-
tus Dei habitat, qui regit illos tantum, qui per fi-
dem in Christum sanctificari expetunt, spectant
& sectantur sancta & Deo grata. Vbi Deus non
habitat, neq; ad gubernacula sedet, ubi Dei uer-
bum non sincere docetur, ubi sacramenta, fides
in Christum, ac opera spiritus sancti non adsunt:
ibi non Dei sed diaboli templum et habitatio re-

peritur. Hoc descrimen inter Ecclesiam Dei & di-
aboli, propheta duobus uerbis declarat, cum cre-
dentes dicit esse, habitacula sancta altissimi. In his
uerbis causa quoq; indicatur, cur hæc ciuitas Dei
iucunda maneat, etiamsi contra fremat ciuitas dia-
boli, ac conetur populum Dei totum perdere. Im-
possibile est, ut prorsus Dei Ecclesia oppressa dele-
atur. Deus enim in illa suas habet habitationes san-
ctas. Deus non euertitur: proinde nec habitationes
illius everti possunt. Deus non opprimitur: ergo
nec populus illius opprimi potest. Multo potenti-
or est Deus, quàm ut uel inferi, uel Tyranni ac om-
nes impij cum suis uiribus aduersus Deum preua-
leant. Habitationes illius altiores ac fortiores ex-
istunt, quàm ut eas impij inuadant ac demoliantur.

Contra omnem mundi & inferorum potenti-
am & Tyrannidem, ad consolationem ac augen-
dam confidentiam piorum Deus hunc titulum sibi
usurpat: quòd sit altissimus, qui in sublimi ha-
bitat: qui potentia sua in immensum superat om-
nes angelos, omnes homines, omnes deniq; creatu-
ras: qui tam est excelsus, ut cælum, sedem & ter-
ram scabellum pedum suorum habeat: quem neq;
cælum neq; terra capiat. Hæc est miranda ampli-
tudo, maiestas & excellentia, quam nulli spiritus
malis

maligni, nulli homines adsequi, & quicquid ma-
gnum, sublime & excelsum est, & adfectat subli-
mia attingere non potest. Deus enim solus est
altissimus.

A Dei inhabitantis celsitudine & maiestate
collaudat propheta ecclesiam: Deus, inquit, est in
ea. Est uero Deus in ecclesia præsens: tum profe-
cto heros fortissimus tenet eam, protector potentis-
simus defendit eam, ciuitas illa munita est, & habi-
tacula eius ualide firmata. Facile est illi protectori
suam ciuitatem contra omnes procellas ac tempe-
states defendere. Si quando ciuitas aliqua, habet
duces sapientes, bellicosos & firma militum præ-
sidia, tum ciues se consolantur, eo quòd sciant se
satis instructos & paratos, contraq; omnem uim,
& impetum hostium tutos esse. Quanto plus sola-
tij habent ij ciues, qui ipsi templum & habitatio
Dei sunt, et Deum altissimum protectorem habent.
Plus enim habent roboris, plus auxilij, in Deo al-
tissimo, quàm ab omnibus angelis ac hominibus
adferri possit. Dei altissimi potentia tanto est ma-
ior uiribus angelorum ac omnium rerum condi-
tarum, quanto exuperat reliquas creaturas om-
nes. vbi enim Deus habitat: ibi simul illius adest
potentia, fortitudo ac robur. De auxilio & pro-
tectione Dei hic loquitur propheta, quòd semper

presens adest in habitaculo suo sancto, quod ad-
uuat ciuitatem suam. Et quidem manè, hoc est,
oportuno tempore, cum populus Dei opis quam-
maxime indiget, cum uel nemo uult uel potest
auxiliari. Non negligit dominus suos, uigilat sem-
per, et subito fert auxilium. Manè adiuuare idem
est, quod ultro & libenter opem ferre, promp-
tum ac paratum esse ad subueniendum, & quidè
tempore oportuno. Homo industrius ac facilis
mane succurrit laboranti, matutino tempore ad-
est, non anteponeit somnum rebus amici: ita Deus
uigilat pro suis, oportune adfert opem, sicuti alia
bi in psalmo loquitur propheta, quod non dor-
mitet Dominus, qui custodit populum suum. Hanc
uocem, manè, propheta opponit credentium im-
becillitati in sperando auxilio à Deo. Sæpè pijs ui-
detur, quod nullam Deus opem ferat, ac oportuni-
tatem in iuuando negligat: nec aliud sæpè appa-
ret, quàm quod Deus sero adsit, & tardius aut
negligentius accedat ad opitulandum. Atqui nulla
est negligentia, nulla tarditas, nulla indiligentia
apud dominum altissimum, uerum summa diligen-
tia ac uigilantia, qua in omnes est intentus occasi-
ones: & se opitulatur, & periculis depulsis sa-
lutem adfert, ut uere liberati dicantur, quibus o-
pem prestita.

Erratur

Erratur autem in eo, quòd nos aliter, quàm ille
tempora diuidimus. Deo manest, quod nobis sero
uidetur: & contra quod nobis serum, illi est ma-
nè: illi oportunum tempus, quod nobis importu-
num uidetur: nobis sæculum est, quod illi hora uel
punctum. Oportet nos ad illius rationes accomo-
dare, & discere illud mane ac oportunum iuuan-
di tempus patienter expectare: tum certo certius
altissimus nobis aderit & ex omnibus periculis
eripiet nos, ut permaneamus: quemadmodum Da-
uid hoc loco concludit: quod ciuitas domini ma-
net: quia altissimus habet suas habitationes in ea,
& adiuuat eam manè, tempore opportuno ac com-
modo.

Qui aufert bella per uniuersam terram.

Propheta nobis ob oculos proponit Dei ope-
ra, ut ad nostri consolationem ea intueamur. Ac
breuiter duplicia opera recenset: alterũ est, quòd
deus bella excitat & desolatur regna: alterum
quod aufert bella. Regnorum desolationem com-
memorat ea de caussa, quod imperia opponunt se
ciuitati sanctæ dei & habitaculis eius, & conan-
tur religionem eius ac ecclesiam delere, ideoq; à
Deo euertuntur. Nam etsi bella sunt pœnæ publi-
cæ omnis generis peccatorum, tamen deus magna

Ex parte excitat bella, ut à Tyrannis & ab impijs:
Ecclesie persecutoribus meritas pœnas exigat.

Propheta denunciant bella & excidia impijs:
tum ob alia peccata, tum præcipue propter odi-
um & persecutionem ueræ doctrine, & populi
dei. Hæc nos Dauid cōsiderare monet in omnibus
historijs: quomodo deus regna ac imperia euer-
terit, quæ se opposuerunt Ecclesie dei, ut eam ex-
tinguerent: quomodo Deus deletis hostibus reli-
gionem suam defenderit, & in posterum uelit su-
am ecclesiam contra fremitus ac Tyrannidem im-
piorum protegere. Deinde docet in historijs consi-
derare hoc opus dei, quòd compescit bella, & red-
dit pacem suæ ecclesie. Dominus zebaoth, inquit
Dauid, aufert bella per uniuersam terram, conte-
rit arcum, confringit arma, & currus comburit
igni. Deo tribuit, quòd motus bellorum compe-
scat & restituat pacem. Homines excitare turbas
& bella nouerunt, Tyranni nihil præter turbas
ac seditiones moluntur, nihil aliud optant, quàm
ut ad arma conclametur: gaudent expediri arma,
arcum tendi, equos & currus parari ad bellum: et
quidem permittit deus, ut diabolus Tyrannorum
animos ad belligerandum accendat, sinit ut exori-
atur turba ad uindictam Satanae ac Tyranno-
rum, & ad puniendâ peccata sui populi. Mouent
igitur

Igitur sepe bella permissu Dei, sed sedare & com-
ponere mota, & firmam restituere pacem non pos-
sunt, nisi Deus suos respiciens res motas componat
& instatum tranquillum omnia, quæ bellis sunt
conclusa, restituat. Alij studium pacis constituen-
da deest: nec expetunt homines, nec querunt pa-
cem maxime talem, quæ sit honesta & Christiano
nomine digna. Alij insidiosam & impiam pacem
faciunt, unde existunt grauiora mala, quæq; plus
incommodi secum attrahit, quàm in presenti bo-
ni apportat. Si qui tenentur studio pacis, & rebus
turbatis consulere cupiunt, nihil tamen efficiunt,
nisi Deus diabolo & seditiosis hominibus resistat,
eosq; frangat. Non est in potestate hominum, ut
procellas & tempestates maris sedent: multo mi-
nus possunt sua prudentia, consilij & potentia
fluctus turbulentos ab hominibus excitatos com-
ponere. Psalmo 65. Deo gratias agit ecclesiã, quod
profligatis bellis, pacem concedat. Deus, inquit,
compescit fremitum maris & tumultum populo-
rum. Ita hoc loco Dauid Deo Zebaoth tribuit,
quod auferat bella, redigat arma ac apparatus
belli ad nihilum. Deus autem auferi bella & consti-
tuit pacem, propter ecclesiam suam. Vult enim su-
am ciuitatem manere, uult huius fontes manere:
quod fieri non posset, nisi daret pacem, sub qua

difficetur Ecclesia Christi, regnum eius per uerbum
Dei propagetur, uera Dei cognitio & religio san-
cta conferuetur. Belli tempore cuncta deuastan-
tur, templa ac scholæ negliguntur, conugia, le-
ges, iudicia, politica constitutiones labefiunt ac
corruunt. Sed templa ac scholæ ubi neglectæ ia-
cent, ubi coniugia, leges, iudicia, constitutiones ci-
uiles abiectæ pro nihilo putantur: ibi neq; religio
ni ueræ propagandæ, neq; Ecclesiæ Christi augen-
dæ ullus est relictus locus. Ne tamen noxiæ & per-
nitiosæ, Ecclesiæ, scholarum, legum, iudiciorum,
confusiones ac uastationes fiant, Deus aufert bella
ac dat aliquandiu pacem, ut œconomia, politica, le-
ges, iudicia consistant, ut sub pacata gubernatio-
ne, doctrina & religio consistant. Deus ita agit no-
biscum, quemadmodum de Halcyonibus docti scri-
bunt, qui hyberno tempore nidos extruunt, et ex-
cludunt pullos in scopulis medijs maris, cum mare
est tranquillum: ita Deus tranquillitatem & pa-
cem concedit, ut Ecclesia sobolem suam educare ac
prouehere in cognitione Christi queat. Hinc &
psalmo 84 Ecclesiam Christi, auium nido compa-
rat: &c. quæ ut Ecclesia comodè faciat & alitibi
habeat domicilium, deus eam tranquillitate donat
ad propagationem religionis ueræ. In libro Iuda-
cum leguntur uaria exempla bellorum, quæ gen-

res gesserunt contra populum Dei: ex quibus fit manifestum, quàm grauius Dei populus à gentibus adfluctus & oppressus fuerit, & quàm fortiter excitationis magnis heroibus ac bellicosis uiris suos defenderit. Successum in rebus gerendis & reprimendis hostibus uictoriam, Deus largiebatur per præstantes uiros: ne uera religio extingueretur, sed promissiones de Christo conseruata in illo populo ad posteros transmitterentur.

Ad hos fines pij semper retulerunt suas uictorias, & pacis commoditates ad gloriam nominis Dei conuerterunt, subuersa idolatria, constituerunt cultus ueros, quæ honesta & pia erant sanxerunt: idem finis uictoriarum & pacis semper esse debet. Christiani homines uictorias & pacem non solum ad priuatas suas utilitates referent, non tantum impendent ad quærendum uictum, & paradas opes, nedum ijs ad fastum ac luxum, ad crapulam ac ebrietatem abutentur: sed conferent tempora pacis ad uitæ emendationem ac Christianæ religionis in doctrinæ conseruationem, quibus rebus Dei gloriæ et hominum saluti consulitur. Hinc est quod Apostolus præcipit rogare pacem et pro magistratu deprecari: ut in pace homines edocti & instituti de Dei uoluntate ad ueritatis cognitionem perueniant, & consequantur salutem.

Hac de caussa spiritus sanctus in hoc psalmo & in alijs locis pluribus docet, tum bellorum, tum pacis autorem esse Deum: ut in timore Dei uideamus, ei obedire studeamus, caueamus nobis à peccatis, propter quæ effundit iram suam super inobedientes & bella excitat: cumq; bella exarserunt, ut bellorum finem animo submisso & de peccatis suis dolente apud Deum queramus, & ab eo expectemus calamitatũ mitigationem. Hæc est caussa, quare Dauid Deo uictoriam adscribat dicens: Dominus zebaoth aufert bella &c. Et Salomon in prouerbijs: Equus instruitur ad bellum, uictoria uero à domino datur. Et ubiq; docet scriptura, quòd uictoria sit donum & opus Dei: ut fiduciam nostram in eum collochemus, ut non à nostra neq; ab ullius creaturæ potètia pendeamus, sed robur ac fortitudinem nostram cõstituamus in solo Deo, etiam cùm ordinatis medijs utimur.

Sed hic quæri potest: cùm Deus sit bellorum & pacis arbiter & autor uictoriæ, isq; arcus & curtus confringat: an etiam det uictoriã impijs, qui pro mala caussa bella gerunt: & contra permittat eorum arma ac potentiã euertere, qui caussam bonam sequuntur, quiq; in caussa bona ac iusta legitimum bellum susceperunt? Et quia palam ac manifestum est, tum ex ueteribus, tum ex recentibus

bus historijs, quod etiam sæpe implj splendidissimas uictorias reportent, quæritur: quare Deus non populo suo, sed illis det uictoriam, qui uerbis ac nomen eius odio prosequuntur?

Ad hanc quæstionem his paucis respondeo: Deus habet uarias ac multiplices causas, quare impios sinat præualere, & rebus latis ac uictoria contra iustam causam contra religionem ac populum suum potiri. Peccata populi sui corripit & uocat ad poenitentiam: de fide & constantia piorum periculum facit: docet illos & intelligere & canere uere hunc psalmum: Deus nostra spes & fortitudo, Dominus zebaoth est nobiscum: detegit multorum hominum hypocrisin, cogitationes, consilia, technas ac perfidiam, quemadmodum superiore germanico bello factum est.

Postremo etiam impios illa ipsa fœlicitate puniunt: ut euecti post de summo fortunæ gradu deturbentur: ut illius nomen tanto ardentius ac plenius predicetur ac glorificetur, quemadmodum porro hic psalmus declarat Deum suo nomini laudè parare per illa sua admiranda opera.

Vacate & uidete, quod ego sum
Dominus.

Propheta hunc psalmum plenam cōsolationis coneludit, docēs ita intueri opera dei, ut à nostris operibus agamus sabbatū, & sinamus Deū pro suo

consilio nobiscū agere, eiusq; opem in nostris pe-
riculis patiēter expectemus. Vacare enim idē est
quod opera Dei in omni obediētia ac patiētia bo-
ni cōsulere, causam suā Deo committere, atq; illi
liberam uoluntatem nobiscum agendi relinquere
p̄ sua sapientia, ad nominis sui gloriā, ad nostram
& Ecclesie sue salutē. Vacare nō significat deside-
re, lāguescere & nihil p̄sus facere cū pericula
impēdent. Deus nō p̄cipit, ut otiosi et ignaui ces-
satores simus, et illud qd' nostri est officij in unius-
cuiusq; uocatione omittamus, & speremus deū sine
iustis medijs omnia facturū, interim impios omnia
pro suis uotis conficere patiamur: Quod dicit, Va-
cate, nō tantundē ualeat, ac si dicat, quiescite, cessate
posthabete uestrū officiū, committite tantū uos &
causam uestrā Deo, orate, p̄ferte mala, nolite resi-
stere hostibus, subijcite uos eis, pro uestris ciuitati-
bus non pugnate, nō defendite subditos uestros, li-
beros, uxorē, uicinos, amicos ac fratres: non sanē
hęc mādat Deus, cū iubet, ut quieti simus: sed
alia in scriptura sacra mādata nobis proponun-
tur, nempe, q̄ non solū orare & pati debeamus,
sed simuletia cū precibus & patientia, studiū faci-
endi nostrū officiū coniūgere. Cū nostro officio nō
desumus, precibus insistimus et deo causam nostrā
commendamus, accedat patientia, qua moderate
quisq; suam crucem, sua incommoda & erūnas
ferat.

frat. Deus loquitur hic de spiritali uocatione. Spirituale autem sabbatum duobus modis agimus. Primum quando non uagamur extra metas prefixas nobis, impia consilia non sequimur, nec quaerimus media inconcessa & prohibita à Deo, cum ab hostibus nostris oppugnamur, uel cum morbis uel alijs casibus conflictamur, à quibus liberationem expetimus. In his & similibus calamitatibus homines sunt inquieti, impatientes, uagi, non quiescunt nec abstinent suis consilijs malis, circumspicunt & tentant ea auxilia, quæ Deo non probantur. Hanc impatientiam prohibet deus, dicens: Vacate, fugite consilia impia, extra me ne quaeratis auxilia ac liberationem, uel ab hostibus, uel à morbis, uel alijs malis. Hæc cum posthabentur, tum sabbatum sanctificamus. Secundo Sabbatum agitur spirituale: quando bonis ac iustis medijs utimur, ac ea quæ cum lege Dei ac nostra uocatione conueniunt facimus, neque tamen fidimus sapientie, consilijs ac uiribus nostris: quando statuimus nostram fortunam non ex nostra sapientia, consilijs, industria, sed ex dei benignitate pendere: & cum non omnia nobis ex uoto fluunt, & Deus nos uel deserere uideatur, uel altius malis immergere, ut uel hostes potiores fiant, uel morbi magis ingravescant, uel alie calamitates augeantur, impatientia fracti Deo non obmurmuremus, non de illius bonitate diffidimus.

mus, nō à Deo deficiamus, iustā causam, Dei uerbū
& Ecclesiam adflētā non dānemus, nō deseramus
aut abijciamus, nō sectemur technas & insidiosas
cōciliationes impiorum, nec adiungamus nos im-
pijs cōtra fratres nostros, nō illorū cōsilijs prauis
assentiamur aut Tyrannidē approbemus. Talia
cōsilia dabat Esaias suis ciuibus & principibus,
quādo rex Assyriorū potētissimus magnis copijs
Hierosolymā obsidione cinxerat: Hortabatur po-
pulū, ut uacaret ac quiesceret. Nō hoc tamē uole-
bat, ut ciuitatis suæ rationē nullā haberent nec op-
ponerēt se suo hosti: sed ne impatiētes animis cade-
rēt, nec quærerēt impia præsidia; fiduciā suā in
Deo collocantes eius auxilium implorarent.

Hoc modo oppressi Christiani debēt uacare, nō
obmurmurare deo, nō præiudicare, nō desperare,
nō impijs se adiungere. Quod cum fecerimus Deus
exeret potētiam suā, & aderit nobis cito, et cognō-
scemus, quōd dominus Zebaoth sit nobiscum.

Hāc cognitionē coiungit propheta cum uacati-
one animi & in Deum fiducia & Christiana pati-
entia. Ex uacatione enim, ex fide & patiētia, nasci-
tur experientia & certitudo de Dei præsentia cum
in aduersis uacamus Deo & quiescimus, tum cog-
noscimus ac perspicimus, quōd dominus Zebaoth,
Deus noster est, qui in summis periculis auxilio
suo nobis adest, nos defendit ac tuetur.

Primum præceptum haud quaquam intelligi-
tur à nobis, nisi Deo uacemus, & experiendo dis-
camus, deum opitulari fidentibus illi. Usus ac expe-
rientia tempore calamitatis prouocat ad maiore
fidem et patientiã, quemadmodum Paulus Roma-
s testatur. Hac de causa deus sæpè magnis pericu-
lis suos exponit, misere affligi patitur, etiã si causa
sua habeant optimam, quæ comparata sit ad uer-
æ religionis & politicæ societatis conseruationem.
Vult Deus magnificari consilia, sapientiam,
potentiam ac præsentiam suam iuuando declara-
re, in imbecillitate et ærumnis populi sui, cum ope
& auxilio destituuntur. Hoc pacto laus & gloria
Dei spargitur & elucescit. Hic homines oportet
Deo suam relinquunt ac tribuant gloriam: quia
uident se esse miseros, infirmos, desertos, neq; consi-
lij aut auxiliij quidquam ad salutem habere, præ-
ter hoc unum, quòd Deus adiuuat eos. Multi suis
consilijs ac operibus honorem, nominis sui celebri-
tatem, & gloriam quærunt, & interim Deum ho-
nore suo defraudant. Has rapinas Deus odio ha-
bet: ideoq; illorum consilijs resistit, gloriam homi-
num in nihilum redigit: nec patitur deus ut sapien-
tissime consulta & instituta successum habeant, ut
suam gloriam sibi uindictet ipseq; solus exaltetur.

Atq; ea uera est causa, quare suscepta consilia
aduersus Antichristum & diaboli Tyrannidem

superioribus annis adeo infeliciter cesserint, & de-
fensio iustissimæ causæ tam tristem exitū sit sortita,
et pij principes cū suis subditis deuenerint ad ex-
tremas calamitates. Hæc inquam est caussa: q̄, deus
uoluerit celebrari & suam laudem, contra super-
bos illos & sacrilegos raptos, qui suam laudem
quaesuerunt, adserere: quorum non pauci in exer-
citu illo admixti fuerunt, etiamsi boni & uerè pij
homines uera animi simplicitate spectauerunt glo-
riam Dei. Et licet minime appareant, Deum in his
euentibus & malis magnificari & exaltari, sed
rideatur potius gloria eius imminui, nomen eius,
doctrina, & misera Ecclesia contumelijs adfici: ue-
re tamen consulit suæ gloriæ, & gloriam sui no-
minis augebit eo ipso, quod ab impijs ridetur, con-
temnitur & blasphematur. Eo nimirum modo
parat sibi laudem Deus ac gloriam: quod in me-
dijs hostibus in summa Tyrannide diaboli, in sum-
mis uictorijs & triumphis impiorum, adstrictissi-
mis suorū uiribus, & rebus oībus desperatis suū
uerbum ac Ecclesiam suam defendit. Facit etiam
hoc ad gloriam Dei, q̄, detegit & manifestat mul-
torum hypoerisn & perfidiam. Et suo tempore
clarius elucescet eius gloria: patitur enim Deus
impios exaltari, gloriari in malitia, fortuna ac
felicitate frui, agere triūphos, ut tanto grauiore
casu ruant: vnde nominis eius gloria fiat amplior

et celebrior. Sic pharao aliquandiu gloriosus erat ac dominabatur pro suo arbitrio populo dei, quem perditae opprimebat: Verum Deus suo tempore clariorem triumphum ab oppresso Tyranno reportebat, sicuti Deus in Mose dicit: Ego te excitavi, ut in te ostenderem potentiam meam. Sic tempore iudicium Israelitae à gentibus adfligebantur: id Deus permittebat, ut sui nominis maiestatem ac gloriam amplificaret et inobedientes adduceret ad poenitentiam. Vera enim Dei gloria est et laus, sapientes ac potentissimos quosque deturbare ac euertere: et contra oppressos ac abiectos erigere et exaltare, electos suos liberare et saluare ereptos ex manibus hostium potentissimorum et extremis malis. Quare et nos uacemus Deo in humilitate, patientia, ac uera fiducia in Deum, nostrosque animi dolores hoc solatio leniamus, quòd

Dominus Deus Zebaoth est nobiscum, et
Deus Iacob protector noster, qui nos
contra hostes nostros defensos
seruabit in aeternum.

Marpurgi excusum per Andream Colibium, expensis Petri Brubachij.
Anno M D LI.



Ex. tunc prout dicitur in 2^o cap.
de vultu dicitur ad hoc tunc ad hanc
no. 7 fidelissimus dicitur allegari,
anfibius, resiliens & resiliens ab ipso
potest, tunc immoratur in eis negati-
vum, si multa tribuitur, gratiaque
in amantibus agere sic mentem
& cogitationem cum in amantibus in
eandem clarior ac praesentior, vultu
et.

Immanis est corpus in obediencia
fidei subiectum & quasi in amantibus
no. cogitatur, & tunc de obediencia
tra. & resiliens resiliens
ac demerit, in obediencia vultu
no. vultu vultu dicitur Resiliens
immanis corpus dicitur Resiliens
no. vultu & immoratur sic bonum
est corpus & tunc, tunc
vultu dicitur dicitur Resiliens
vultu cum hinc vultu Resiliens
& Resiliens, Resiliens immoratur
vultu Resiliens & tunc Resiliens
vultu Resiliens vultu Resiliens
vultu Resiliens vultu Resiliens

Beati quia plantarum in vultu
vultu Resiliens vultu Resiliens



XVI 12313

BR 938608-10

D. Hieronymi: in p[ro]phetiis ad parthos
et eussor[um] in troas[um] h[er]icis h[er]ic
et hebraica veritate

h[er]ic p[ro]p[ter] q[uo]d et postea desy[er]ant
ut viderent, ut et in d[omi]no, sed
et adij p[ro]p[ter] p[ro]p[ter] ignovata
canone.

Q: Carissimi: j:

Alam h[er]ic[um] nos[tra] h[er]ic
h[er]ic[um] r[ati]o[n]is h[er]ic[um]
quod h[er]ic[um] p[ro]p[ter] h[er]ic[um]
h[er]ic[um] h[er]ic[um] p[ro]p[ter] h[er]ic[um]
h[er]ic[um] h[er]ic[um] p[ro]p[ter] h[er]ic[um]
h[er]ic[um] h[er]ic[um] p[ro]p[ter] h[er]ic[um]
h[er]ic[um] h[er]ic[um] p[ro]p[ter] h[er]ic[um]

V. 6.



~~P-16~~
1-137

6

XVI
23/1-3